



Quomodo hæc mulier tot, ac tantis laboribus instat pro familia sua alenda, cum esset valde illustris, & mulier nobilissimi iudicis: dicitur: *Nobilis in portis*, ubi erant tribunalia iudiciaria, vt aduertunt Carthusianus, Salazar, Cornelius. *Vir Cardinalis Hugo, vt index.* Mulier viri iudicis eius, quando sederit cum senatoribus terra. Explicat erat, & tamen tot vigiliis, curis, ac operationibus insudabat supra propriam domum, quamuis enim mulier viri iudicis esset, non prouidebat domui suæ ex muneribus acceptis; sed suis laboribus impensis; manûsque suas habebat occupatas operationibus, non verò donis oblati, & idè fortè dicitur: *Vir eius nobilis.* Non solum genete, sed etiam à sui muneris conditione, à cuius integritate maximè nobilitabatur, cum incorruptus illius animus existeret. Vnde ait Petrus Damianus, lib. 2. epistol. 2. seu aliàs 23. num. 3. *Mens quippe, ait, percepti muneris conscia, debilitat iudicialis censura vigorem; reprimat eloquentia libertatem. Nam etsi iudicij relictio funditur, non admittitur: iudicandi tamen auctoritas eneruatur.*

QVÆSTIO XV.

Quare duodecim sedes tantum assignantur, cum maior sit numerus iudicantium?

**I** V V s Chrysofomus, Euthymius, Theophylactus, existimant Apostolos non seculos in iudicio, sed sedium nomine eorum insignem honorem denotari. Theophylactus: *Num, ait, sedebunt discipuli? Minime. Sed excellentem honorem per sedem significauit Christus.* Tamen tenendum est, Apostolos reuera seculos esse cum Christo. Ita docent D. Hieronymus, D. Paschasius lib. 9. in Matth. D. Augustinus in Psalm. 49. Haymon, & alij; hoc enim apertè significant Christi verba; promittit est, Apostolos reuera seculos esse cum Græcis; *chronos*, qui erunt ex pulcherrimis nubibus efformati, vt dixi in expositione.

**97.** *Ratio diff. cultasie.* Quæstio præsens est, quomodo tantum assignantur duodecim sedes; nam Paulus, & Barnabas cum cæteris Apostolis numerandi sunt, qui totum orbem iudicabunt, sic Paulus dixit de se non solum homines, sed etiam Angelos esse iudicaturum, 1. Corinth. 6. num. 3. Ex quo Richard. Victorinus tract. de potestate iudiciaria, & Maldonatus. Alij dicunt, hæc à Christo solis promitti duodecim Apostolis, quia illi primi fuerunt Christi asseclæ.

**98.** *Numero definitus pro indefinito.* Dicendum tamen est, quòd in præsentem numerus duodenarius ponitur definitus pro indefinito, ac proinde significat quandam multitudinem eorum, qui cum Christo iudicabunt. D. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 5. *Non solum, ait, duodecim homines cum Christo iudicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero vniuersa quedam significata est iudicantium multitudo.* Idem habet epist. 89. Idem docent D. Gregorius lib. 10. Moralium cap. 17. & vltim. Origenes tract. 8. Beda, Haymon, D. Thomas, Carthusianus, Barradas, Cornelius, Lucas Burgenf. sic & frequenter duodecim pro quadam vniuersitate ponitur, sic & in duodecim portis sanctæ Ciuitatis apparent, nomina scripta, que sunt nomina duodecim tribuum Israel, Apocal. 21. num. 12. sub quibus intelliguntur omnes electi: lignum vitæ dicitur afferens fructus

*duodecim per menses singulos, Apocal. 22. num. 2. id est omnes fructus, vt ibi explicant Primantius Andreas Casaris. Nam totus annus duodecim mensibus continetur.*

Ex quo patet, quòd D. Paulus, ac D. Barnabas suas sedes obtinebunt cum cæteris Apostolis ad iudicandum. Iudas autem malitia sua exclusus à sua sede, cuius locus Matthiæ electione suppletus est; si verò aliquis vim faciat, quod Christus dixit Apostolis, *sedebitis & vos.* Ait vos, subintelligitur, si permanseritis, & quia Iudas non permansit, à tanto honore cecidit. Dixit autem Christus: *Sedebitis & vos super sedes duodecim.* Dicit vos, ne vnus Iudas excludendus proderetur, vel interprete Euthymio: *Ne deterior cæteris haberetur.* Diuinus Magister maximè illius honori consulebat.

Secundò patet, quòd viri perfecti, vt sunt veri religiosi, qui ad exemplum Apostolorum omnia relinquentes Christum sequuntur, iudiciaria potestate etiam fulgebunt. D. Gregorius lib. 10. moral. cap. 17. & vltim. *Quisquis, ait, sti mulo diuini amoris excitatus hic possessa reliquerit; illic proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit.* Vt simul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc consideratione iudicij sese spontanea paupertate castigat. Quod etiam docent Origenes tractat. 8. D. Augustinus epist. ad Hilar. 89. D. Cyrillus in cap. 60. Isai. D. Hieronymus epist. 28. D. Gregorius Nazianzenus orat. 1. contra Iulian. D. Anselmus epist. 10. Abulenf. quæst. 205. D. Thom. tract. contra retrahentes à Religione cap. 6. & 7. & 3. part. quæst. 89. addit art. 2. D. Bernard. serm. de sancto Benedicto, qui ait: *Sciendum namque est omnes, qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, iudices cum eo venturos, sicut etiam omne mortalium genus esse iudicandum: quia enim duodenario, sapenunero solet in Scripturis vniuersitas designari: per duodecim sedes Apostolorum omnium vniuersitas iudicantium; & per duodecim tribus Israel vniuersitas eorum, qui iudicandi sunt, ostenditur.*

Hæc tamen gloriosa sessio iudiciaria non tribuenda est iis, qui frigide, ac negligenter Christo adherent, sed tantummodo iis, qui ardent, ac pro viribus perfecte eum sequuntur. Ita D. Bernard. *Hæc est, ait, perfectiorum gloria singularis inter ipsos etiam eminere fideles, & cæteris quoque saluandis præeminere, auctoritate iudiciaria potestatis.* Ex quo asserunt D. Antonin. Suarez 3 part. quæst. 59. disput. 57. sect. 4. hoc præmium non esse dandum Religiosis imperfectis, sed tantum perfectis.

Ad calcem huius quæstionis hic notanda est suprema Dei dispositio, ac prouidentia; duodecim Apostolis duodecim promittit cathedras, non vni pollicetur duas, vel tres, sed cuilibet suam, sic enim ordinat sua bona, vt per omnes diuidat, ac distribuatur. Nec enim in vno omnia dona sunt congerenda, sed per plures spargenda, vt inde vberes fructus percipiuntur. Cassiodorus lib. 3. variarum cap. 29. *Hæc sunt regis dona, ait, quod semina sparsa in segetem coalescunt, in vnum coacta depereunt. Optamus ergo munera multis collata diuidere, vt possent ubique nostra beneficia pullulare.*

Moriturus Mathathias ait filiis: *Ecce Simon, frater vester, scio quod vir consilij est: ipsum audite semper, & ipse erit pater.* Et Iudas Machabeus fortis viribus à iuuentute sua, sit vobis princeps militia, & ipseaget bellum populi, 1. Machab. 2. num. 65. Bonus senex totum negotium rempublicam administrandi, non vni confert, sed diuidit. Simoni dat

Carthuf. Salazar. Cotel. Hugo.

Vxor iudicis muneris non accipiat.

Damianus.

97. Chrysof. Euthym. Theophyl.

Hieron. Paschal. Apostoli vni iudicabunt. August. Haymon.

98. Ratio diff. cultasie.

1. Cor. 6. Richard. Maldon.

99. Numerus definitus pro indefinito. August.

Gregor. Origenes. Beda. Haymon. D. Thom. Carthuf. Barrad. Apoc. 21. Apoc. 22.

Primant. 100. Euthym. Christus suorum honori consulit.

101. Perfecti, ac verè relinquentes iudicabunt. Gregor. August.

Origenes. Cyril. Hieron. Nazianz. Anselm. Abulenf. D. Thom. Bernard.

102. Perfecti religiosi iudicabunt, non verò imperfecti.

Anton. Suarez.

103. Christus sedes per suos diuidit.

Cassiodor.

104. 1. Mach. 2.

105. Chrysof. Theophyl. Beda. Haymon. Abulenf.

dat cathedram, ac clauem in ciuili gubernatione Reipublicæ, Iudæ verò in rebus bellicis peragendis.

**Matth. 19. num. 29.** Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

VERSIONES.

**S. Prosper de predict. p. 2. cap. 36.** Si quis dimiserit domum, aut agrum, aut uxorem, aut filios causa nominis mei, hic multipliciter accipiet, & vitam æternam consequetur.

**S. Valerianus homil. 9.** Omnis qui reliquerit domum, &c. Ego reddam vobis centuplum, & insuper vitam æternam.

**Syriacus.** Vnum in centum accipiet, & vitam æternam hæreditate possidebit.

**Luc. Burgenf. ex Græco.** Centuplicia accipiet, & vitam æternam iure hæreditario possidebit.

ALTER TEXTVS.

**Marc. 10. num. 29.** Respondes Iesus, ait: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Euangelium.

**Num. 30.** Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc: domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.

**Luc. 18. n. 29.** Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei. Et non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.

EXPOSITIO III.

**M** N I S, qui reliquerit. Dupliciter interpretatur locus; primò. D. Chrysofomus, Theophylactus, Beda, Haymon, Abulenf.

& Caietanus, de paupere voluntario, qui relictis omnibus Christum sequitur, vt fecerunt Apostoli. Secundò Origenes tractat. 8. D. Hieronymus, Ianfenius, Maldonatus, Lucas Burgenf. & alij, qui dicunt, quòd Christus Dominus loquitur, non de iis, qui ipsum sequuntur relinquentes omnia, vt fecerunt Apostoli, sed dumtaxat aliqua, quibus promittitur centuplum, & hæc expositio inde mihi probabilior, quia in textu in omnibus his membris ponitur semper particula disiunctiua, *vel, aut, dicitur: Qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, &c.* Prius in antecedentibus loquitur de perfectissimis, vt erant Apostoli, & idè eis dixit, *vos, qui secuti estis me.* Hic verò agit de minus perfectis, qui vnum, vel alterum relinquunt. De quo quæstione sequenti in limine.

**Qui reliquerit domum, vel fratres.** Vel qui vendit, & dat pauperibus, vel qui ab his separatur mittente tyranno in exilium, vel qui illa relinquit ob tentationes, & laqueos, quos Diabolus ibi contra Deum, & fidem parat, vel qui illa dimittit, vt ad monasterium, ac Dei obsequium fugiat. **Aut agros:** in serie relinquendorum vltimo loco posuit agros, sub quibus diuitia intelliguntur, quas vltimo loco nominat, in his enim relinquendis maior sanè vrget difficultas, quam in cæteris omnibus; hæ enim chariores sunt, & ægrius relinquuntur, quam pater, & mater, ac fratres, nam vbi diuitiarum negotium interuenit; statim omnis sanguinis affectus postponitur. **Propter nomen meum.** Mea causa, meoque amore, omnia sua dimittit. Marcus habet: *Propter me, & propter Euangelium.* Id est propter doctrinam Euangelicam, cuius Consilium est omnia relinquere, vt Christus fecerit. D. Hieronymus, Euthym. interpretantur vt expeditius Euangelium prædicent. D. Lucas scribit: *Propter regnum Dei* id est, vt regnum Dei assequatur.

**Centuplum accipiet.** Syriacus habet *vnum in centum*; id est pro vna domo relicta centum domos, pro vno fratre relicto centum fratres, & sic de cæteris, centum sorores, centum matres, qui enim omnia pro Christo relinquit, à cæteris Christianis diligitur, omnèsque illi instar sunt fratrum, fororum, parentum, ex eorumque agris planè sustentatur. Nihil habet possessione, & omnia habet vlti iuxta illud Pauli: *Nihil habentes, & omnia possidentes,* de quo latius quæst. 19. *Et vitam æternam possidebit,* seu, vt habet Syriacus, *Hæres fiet vita æterna.* Subintelligitur, vt exprimit D. Marcus, & Lucas in sæculo venturo, quantum est ex dignitate, ac merito huius operis, si cætera requisita adsint.

QVÆSTIO XVI.

Quare assignatur premium relinquenti patrem, matrem, & uxorem, cum ex Dei lege tales præcipiantur coli?

**I** N limine quæstionis aduerte. Quod non repetit hic Christus vos, non ait, vos qui reliquistis omnia, sicut dixit: *Vos qui secuti estis me, sed absolūtè ait.* Omnis, qui reliquerit domum, &c. De quo iam dixi in expositione quo ad literalem sensum. Deinde hic accipit moralem rationem desumptam ex D. Gregorio homil. 3. in Ezechiel. **FFF 4**

Caietan. Origen. Hieron. Ianfen. Maldon. Burgenf.

106.

Diuitia plæ estimantur quam parentes.

Hieron. Euthym.

107. Syriacus.

Græcus. Syriacus.

108.

Alb Magn. Periculo sum recordari de saeculo relicto.